34

B. C. D.

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE

PARTV DIFFICILI

QVAM

CONSENSV DECRETO ET AVTHORITATE ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE IN PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE HEIDELBERGENSI.

SVB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI

DN. GEORGII FRANCI,

MED. ET PHIL. D. PROF. P. DECANI SPECTATISSIMI ACAD. S. R. I. NAT. CVRIOS. VT ET PATAVINAE RECVPERATORVM COLLEGAE.

Patroni, Præceptoris ac Hoſpitis ſui omni obſervantiæ cultu ſuſpiciendi.

PRO

SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS

Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni offert

JOHANNES FRIDERICVS GRAF

Wisbadio Naſſoicus.

Ad Diem 16. Septembris 1680.

HEIDELBERGÆ,

VIRVM

AMPLISSIMVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM

GEORGIVM WOLFGANGVM

WEDELIVM

MED. D. ET. PROF. PVBL. IN SPLENDIDISSIMA JENENSI VNIVERSITATE CELEBERRIMVM

CONSIL. ET ARCHIATR. DVCAL SAXONICVM ACAD. S. R. I. NATVRÆ CVRIOSOR. ADJVNCTVM ET COLLEGAM ILLVSTREM DICTVM HERCVLEM

DE REPVPL. MEDICA LONGE MERITISSIMVM OB ILLVSTRIA MERITA ET SCRIPTA ATQVE INTIMAM, QVÆ IPSI CVM AMPL. DN. PRÆSIDE MEO INTERCEDIT, AMICITIAM

IGNOTVS EQVIDEM FACIE CVLTV VERO ET OBSEQVIO DEVOTVS VENERATOR

HAC DISPVTATIONE MEA INAVGVRALI VENERARI VOLVI DEBVI.

JOHANNES FRIDERICVS GRAF.

Wisbadio Naſſoicus, Med. Candidatus.

PRÆFATIO.

STupendum ſane eſt, quod refert cæteroquin doctiſſimus Balthaſar Bonifacius Hiſtor. ludicræ l. XIX. c. 7. p. m. 554. de muribus Perſicis, e quibus feminæ adeo fecundæ ſint, ut vicenos ſupra centenos uno partu edant. Rem hanc admirabilem Confirmant auctoritate Stagiritæ, quem oculatum laudat teſtem. Poſtquam vero mihi occaſio dabatur ipſum inſpiciendi Ariſtotelem, inveni locum l. VI. de Hiſtor. animal c. 37. f. m. 344. (Edit Casaub. Lugdun. 1590.) ubi in principio capitis ita: Ἡ δέ τῶν μυῶν γένεσις θαυμασιωτάτη παρὰ τὰ ἄλλα ζῶά ἐστι τῷ πλείθει καὶ τῷ τάχει.: εἴδει γάρ ποτε ἐναπολειφθείσεις (Gaza Legit ἐναποληφθεί σεις.) τῆς θηλείας κυούσης ἐν ἀγγείῳ κέγχρου, μετ᾽ ὀλίγον χρόνον ἀνοιχθέντος τοῦ ἀγγείου, ἐφάνησαν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι μῦες τὸν αριθμόν. h. e vertente Theodoro Gaza. *Murium generatio mirabilis præter cetera animalia majorem in modum eſt tum numero tum celeritate. Jam enim femina prægnante in vaſe miliario aliquando occupata, paullo poſt reſerato vaſe muſculi numero viginti & Centum reperti ſunt.* Ex quo certe nondum illud colligere poſſum, quod voluit Balt. Bonifacius. Nec enim Ariſtoteles ſe oculatum fatetur teſtem, ſed Saltim ſimpliciter narrat. Præterea non in genere & de omnibus muribus hoc ait ſed inſtar miraculi de una femina murium: nec expreſſe de Perſicis loquitur ſed potuit forte etiam de Græca intelligere. Quicquid ſit, in re levi tanto viro non movebo controverſiam: ſaltim fecunditas

eſt admiranda: Hanc quoque interdum in genere humano reperire licet. Femina quædam uno partu quatuor edidit pueros ap. Borell. Cent. v. obſ. 44. Quædam quatuor vicibus XX. peperit. apud Ariſtotel. l. VII. Hiſt. anim. c. 4. Sex alia, Paræus apud Aldrovand. Septem, Trogus apud Plinium l. 7. c. 3. octo Borell. l. a. vid. Plura ap. Caſp. Schottum in phyſica curioſa. l. 3. c. 29. p. m. 543. ſeqq. & Balt. Bonifac. l. a. quorum exemplorum certitudo apud multos & forte ſaniores valde incerta eſt. Hæc liberorum progeneratio in ſacris paſſim egregie commendatur, nihilominus dolores qui eam concomitantur tam atroces ſunt, ut miſeræ femellæ ſæpe præ eorum immanitate animam agant. Et ſacra ſcribtura paſſim maximos dolores per dolores parturientium exprimit, uti apud Jeſaiam c. 21. 26. & 37. Jerem. c. 48. 49. & 50. præcipue ap. Joh. c. 12. De his doloribus & Partu difficili, poſtquam duo examina privata, per Dei gratiam Suſtinui decreto & Juſſu Illuſtris atque Gratioſiſſimæ Facultatis medicæ, hac diſputatione Inaugurali agere conſtitui. Veteres parturientes clamabant: Juno Lucina fave & fer opem; vide Beroald ad Apulej. l. VI. de Aſino aureo p. m. 655. & Alexandr. ab Alexandro l. VI. Genial. dier. c. 4. p. m. 327. Ego majore pietate debeo hoc ingeminare. Tu Deus creator noſter, fer opem & fave mihi, ut hoc difficili meo partu felicem edam fetum qui in nominis tui gloriam & proximi Salutem vergat, Amen!

CAP.

CAP. I.

NOMEN ET DEFINITIONEM EXPLICAT

Cum medicina hoc cum aliis ſcientiis habeat commune, ut præmiſſa onomatologiæ enodatione in meliorem perveniamus rei perceptionem, eandem igitur methodum neceſſariam quoque ſervabimus; dicitur autem partus difficilis à difficultate enitendi, partus doloroſus, laborioſus Græc. δυστοκία Germ. Schwere Geburth / Kinds-Nöthen / Kreiſſen. Magis vero neceſſaria videtur πραγματολογία quippe quæ naturam & eſſentiam hujus morbi proximius inveſtigat. Deſcribitur autem **partus difficilis moleſtus & cum ſumma difficultate fetus maturi in lucem exitus, cum graviſſimis ſymptomatibus conjunctus.** Dixi eſſe moleſtum exitum, & eo ipſo patet, referri ad ſymptomatum claſſem nempe retentorum præter naturam, quamvis non dicamus geſtationem fetus eſſe rem præter naturalem, ſed ratione moræ & intercluſi exitus fit præter naturalis.

CAP. II.

SUBJECTUM MORBI PERTRACTAT

MUlierem hujus morbi ſubjectum eſſe ait Ariſtoteles 7. hiſt. anim. c. 9. & inquit ſola femina ex omnibus animantibus difficillimum patitur partum, quod & alii probant, ex Geneſ. c. 3. dicentes voluiſſe Deum ſexum hunc, qui tantarum ærumnarum cauſa fuit huic ſubjici calamitati. Quamvis hic exceptionem foveat Brown de religione Medici ſect. 9. p. m. 49. inquiens: docet & experientia & hiſtoria, non

tantum certas mulieres ſed totas etiam nationes ab illa puerperii maledictione immunes fuiſſe, quam tamen toti ſexui Deus denunciaſſe videtur. Immo magis temerariæ ſunt quam cordatæ quæ propter partum ob facilitatem æque menſuram vini volunt bibere & dein parturire. Verum non ſolum feminas, ſed etiam bruta hujus morbi ſubjectum eſſe clare patet, videbimus enim quam operoſe & æque difficulter equæ, canes, feles & reliqua animantia feminina ſummis cum doloribus ac niſibus laborent, ita ut ſæpius commoriantur. Qui vero de ſola muliere hoc ſcribunt, magis ad ſubjectum Nobilius tanquam verum medicinæ ſubjectum, & cujus gratia omnia in arte fiunt reſpiciunt. Subjectum autem primarium credo ipſum eſſe uterum extra quem enim nullum fetum naturaliter exiſtere poſſe judicant. Oſſa pubis quæ neceſſario fetui perrumpenda à nonnullis creduntur tempore partus dilatari ut fetui liberior detur exitus. Verum rationi & experientiæ clariſſimorum quorundam virorum reclmat de quibus in Cauſſis fuſius agemus.

CAP. III.

CAVSSAS SVBJECTI VITIO EXPONIT

Cum nullus ſit affectus p. n. qui non habeat ſuam cauſſam prægreſſam, & hic quoque de hac indaganda erimus ſoliciti. Poſſunt vero ratione ſubjecti parturientis variæ eſſe quæ partum faciunt difficilem. ÆTAS PRÆMATVRA teſte Ariſtotele 7. polit. c. 16. in partu juvenculæ laborant magis & earum plures obeunt. Nimirum ſi parturiens puella ſit nec dum vigorem adepta magis etiam primiparæ anguntur, quia ob imperitiam corpus apte præparare ignorant Sebiz. ſpec. med. practic. part. IV. ſect. V. c. 2. p. m. 1665. ait. Mater ſi ſit nimis

nimis mollis & delicata l. impatiens anxia verecunda ut laborare & eniti recuſet. AETAS vero ſenilis ſæpiſſime difficulter parit ob nimiam ſiccitatem, virium defectum, Caloris nativi inopiam. CONSTITVTIO prava ſi admodum obeſa ſit & pinguis obeſitas enim viam reddit arctiorem, quæ viarum anguſtia multum difficultatis cauſſatur. Rodericus a Caſtro de morb. mulier. l. IV. c. V. p. m. 471. ait. facit etiam partum difficilem exigua vulva aut tumor in locis genitalibus vel caro iiſdem adnata, vel obliquitas cervicis uteri, item ſi OS SACRVM nimis ſit incurvatum & intro vergat. Spigel. Anat. c. 24. p. m. 72. 73. ANGVSTIA OSSIS PVBIS SEV COXENDICIS quod quidam in partu credunt dilatari probareque conantur variis, inter quos. Cl. Courveus part. 3. de nut. fetus. c. 12. apud conſentientem Cummium diſp. inaug. præſid. Rolfinc. Jen. 1664. Et tam veteres quam recentiores allegantur plurimi ab Excellentiſſimo Præſide ſat. med. contin. VII. §. V. in nott. lit. a. p. m. 11. Inprimis vero Adrianus Spigelius Anat. l. 2. c. 22. p. m. 339. illud. affirmat quando dicit, uteri os interius gravidis hiat tantoque magis quando ſunt partui proximiores. Et paulo poſt: Ego vero non tantum centies id tetigi, ſed & obſtetrices inveſtigare docui ut cognoſcerent, docui quoque eaſdem, cum tempore partus maxime hiet, inveſtigare, fetuſne verſus terram capite ſit convolutus, an proprium adhuc ſitum teneat. Verum Pace tantorum virorum, quos ob maxima cæteroquin merita veneror, credo adeo firmiter oſſa pubis inter ſe connexa eſſe ut nullo impetu naturaliter ſeparari poſſint, niſi cum violentia proſectoris, uti in anatomiis ipſi vidimus. Præterea ſtant pro me Excellentiſſimus Dominus Præſes Fautor ac Præceptor, Vir de ſtudiis meis meritiſſimus, & illi, quos ſatyr. ſuæ medic. l. a. collegit. Et conſentit quoque mihi Gottfrid Welſch

in ſei-

in ſeinem Hebammen Buch erſter Theil c. i. p. m. 15. ajens. Daß Frauen-Zimmer muß ſich benebens der Kinder Mutter von vohrnehmen anatomicis underrichten laſſen / welche nach hin und hergelegter Sach entlich ſchlieſſen / daß das gedachte Eysbein ins gemein in keiner Geburth ſich öffne und gantz von einander gebe. Poteſt & difficultas pariendi contingere ſi & VTERI MAGNA DISTENSIO & oris ſtrictura & Colli ipſius longitudo acciderit quo fit ut ab utero difficulter egrediatur fetus, nam ut plurimum Collo immorabitur & per anguſtum foramen non libere exibit. ait Ludovicus Mercatus de mulier affectib. l. 3. c. 3. p. m. 509.

Huc quoque refero CORPORIS HABITVM, quo plerumque nonnullæ peccare ſolent, arcta nimirum alligatione, aut veſtium compreſſione nimia ut tempore geſtationis (ne deformes videantur) priſtinam corporis formam conſervent aſſulas iſtas ligneas aut eburneas quas Galli planchette vocant ad ſternum & pubem fere, haud ſine fetus detrimento ſubjiciunt, Confer. Excellentiſſ. Dn. Præſid. Satyr. med. contin. xi. de Planchette. Tandem & cauſſæ ſunt parturientis debilitas ubi vel conatus deficiunt, Aut ſunt nimis fortes, qui una fetum nondum recte ſituatum ad exitum valde ſtimulant. Poſſent quidem adhuc multæ variæque partus difficilis cauſſæ allegari verum id temporis anguſtia jam prohibet. Deo volente id aliquando fuſius ſum pertractaturus.

CAP. IV.

CAVSAS FETVS VITIO, ET ADSTANTIVM TRADIT.

ARiſtoteles Philoſophorum Coryphæus. l. 8, c. 9. Hiſt. animal: inquit, omnia animalia naturaliter in caput exeunt. Probat ſitus fetus: Paulo enim ante partum capite

deorſum Verſus Matricis orificium, tanquam exitum quæſiturus urinatur, imumque petit. ait Harveus de partu.p. m. 332. Verum cum fetus in utero aquis ſeu humoribus uteri innatet, jam hunc jam alium habet nec certum ſervat ſitum, ſed membranis diſruptis vario modo egreditur. Longe difficiliorem partum experiuntur quando fetus DEPRAVATA ALIQVA FIGVRA exire nititur, vel in caput, vel in pedes, aut penitus obliquus, & contortus, vel mille aliis depravatis figuris quam plurimas ſpecies æneis figuris expreſſas videbis apud Gottfrid Welſch in ſeinem Hebammen Buch andern Theils. c. 2. ſeq. p. m. 316. & ſeq. Sennert. in inſtitut. Viardel; in Hebammenbuch. Mauriceau in Hebammen Buch. Scipionem Mercuriom della Commare. C. Schott in Phyſic. Curios. &c. quos evolve ſis.

Cauſſa vero horum diverſorum ſituum ac egreſſuum partim eſt, quando membranis ruptis & aquis effuſis fetus non ſtatim ſubſequitur, quod obſtetrices vocant, Es iſt nicht recht ein geſchoſſen. Debet enim fetus illis humoribus tanquam molli culcitræ innatare, illoſque pro munimento & promontorio quaſi agnoſcere. Dum igitur humores effluunt fluxu ſuo tranſitum lubricant, & niſi partus ſtatim ſubſequatur, & ad dies 6. 8. 9. 12. trahat moram, alimentum fetui ſubtrahitur egreſſus fit aſperior fetus imbecillior (qui tamen ad ſui excretionem multum confert & juvat, quod vel inde manifeſte patet, quando vel mortuæ pepererunt vid. Excellentiſſ. Dn. Præſid. Satyr. med. contin. 3. in notis lit H.) & conſequenter neceſſario moritur.

Cauſſatur quoque hoc malum INVSITATA FETVS MAGNITVDO (ſicuti ipſemet heic Heidelbergæ & in vicinia obſervavi; quando M. Weislero Chirurg: in noſocomio Electorali perit: in extractione fetus mortui ſatis felici aliquoties adſtiti cum ſucceſſu.) præcipue capitis, ſi Hy-

 drocc-

drocephalus ſit, ſi capito &c. Aut EIVS PARVITAS, ſi debilis ſit, qui nec vincula propter craſſitiem diſrumpere queat; aut ſi parvi & exigui ſit capitis, nec vias aperire, nec ab obſtetrice apprehendi queat. Huc quoque refero MONSTRA, aliosque FETVS BICORPORES quorum exempla proſtant. apud Paræum l. 23. de monſtris Schenk obſerv. med l. i. Fortun. Licet. l. de monſtris. c. 89. Weinrich. Lycoſthen. &c. præſertim vero bicorporis fetus anatomiam vide apud Excellentiſſimum & celeberrimum Michaelem Heiland Profeſ. Publ. Giſſenſem celeberrimum, Præceptorem meum olim honoratiſſimum titul. de Monſtro Haſſiaco. 1664. Fit quoque imbecillus, ſi à PARENTIBVS MORBIDIS aut ætate provectis natus ſit quorum ſemen debilius. Item ſi pauco matres utantur alimento cujus aliquot exempla novi, dum matres infantibus, præcipue puellis, ob teneram & compreſſam quam adipiſcantur profectiores formam, nil præter ſimplicem quandam panatellam porrigunt, hæ vero ob defectum alimenti aut moriuntur aut fiunt valetudinariæ.

FETVS MORTVVS quoque periculoſiſſimum reddit partum, hic enim ſe robore ſuo naturali, ut ſupra diximus adjuvare nequit ſed ad inſtar lapidis utero immoratur, cujus rei aliquot vidi exempla cum chirurgo hujus loci ante dicto Johan. Philipp. Weislero quem in fetu extrahendo concomitatus ſum. Inde fit, ut ſæpe mater una & fetus diris hiſce cruciatibus commoriantur. Accidit quoque ſæpe quando fetus ab imperitis obſtetricibus legitimo modo non tractatur; Et fit potiſſimum, ſi muliebrium affectuum aut fetuum, non ſint edoctæ, aut obſtetricandi exercitatione imperitæ.

CAP.

CAP. V.

CAVSAS NATVRALES NON NATVRALES ET PRÆTER NATVRALES INQVIRIT.

EX Cauſſis NATURALIBVS primum locum obtinet TEMPERAMENTVM, tam uteri, quam totius corporis. Cholericæ facilius quam ſanguineæ, obeſæ & denſæ parient, cum habitus corporis earum ſit gracilior, & ob minora impedimenta magis aptus.

NON NATVRALIBVS accenſemus AEREM qui ſæpe magnas corporis noſtri cauſſatur mutationes, *FRIGIDVS* enim meatus adſtringit & flante aquilone difficilius pariunt mulieres. Bartholinus lib de inſolit part. human. viis. c. 3. p. m. 25. inquit Iniquum certe eſt puerperis noſtris cælum noſtrum ut puerperia vix ſex hebdomadibus finiantur, cum tamen in Gallia viderim puerperas, vix una die inter lecti clauſtra contineri potuiſſe. *CALIDVS* vero pariter obeſt, vires diſſolvit ac deijcit & ſi corpus ſit cacochymicum, facile febrem accendere poteſt. Primeros: de morb. mul. l. IV. c. VII. p. m. 312. Ad aërem poteſt referri *INFLVXVS ASTRORVM*, quem multi adeo crepant, præcipue planetarum inimicorum, verum cum viri doctiores, nos meliora docuerint ab his vanis conjecturis merito abſtinemus. Ventriculus *CIBO* plenus, parit dolorum cauſſam, nimium enim diſtenditur uterus, & magis laborat mulier gravata cibo, teſte Hieronymo Mercurial l. 2. d. morb. mulier. c. 2. p. 124. ſic pariter funeſtum & difficilem partum novi à nimio vini generoſi Potu. *SOMNVS & VIGILIÆ* moderatæ, uti proſunt, ita quoq; inordinatæ obſunt, ſomnolentia vero & ſtupor maxime nocent quia fetus impetum remorantur, ad vires tamen reparandas conceditur interdum ſomnus

levior teſte Primeros. l. a. p. 305. Contingit ſæpe ut ob intempeſtivum à *PELLENTIBUS MEDICAMENTIS* conatum uterus rumpatur, & ſic cum difficili partu, mater atque fetus cum Lipſienſi illa apud Salmuth. centur 1. obſ. 16. luant morte. *MOTUS INCOMPOSITUS* & intempeſtivus ſunt cauſſæ. Mercurial l. a. Ariſtot. 4. de gener. Anim c. 7. Sic Illuſtriſſ. Comitiſſa quædampoſt equitationem abortum paſſa eſt 4. menſium. *EXCRETA ET RETENTA* quin poſſint eſſe cauſſa nemo non ſcit. Chriſt. Langius miſcellan. med. curios. poſit. 32. p. m. 100. ait, adſtricta & induratis fecibus alvus diſtenta, magnam parturienti difficultatem, haud raro accerſit, *ANIMI PATHEMATA*, ira, gaudium, triſtitia, timor præſertim & partum difficilem & abortum procurare poſſunt. Sic Terror à Tonitru ſubito perceptus juxta Vidum Vidium l. 11. de curat. membr. c. 32. veneris quoque inſtitutum diſſuadetur exemplo Salmuthi c. 2. obſ. 69.

RES PRÆTER NATURAM ad cauſſarum numerum accedunt. Sic ob inflammationem pudendorum ab intempeſtivo conatu una cum fetu in partu difficili obibat femina quædam ap. Salmuthum loco jam alleg. *CALCULUS VESICÆ* ſi major ſit ad partum difficilem diſponit. v. Hildan obſ. 51. & 52. cent. 4. quandoque totam veſicam replent & diſtendunt Tulpius. obſ. 3. c. 6. confer quoque Hildan in reſpons: ad Doering de Hernia uterin. cent. 1. obſ. 68. & cent. 2. obſ. 57 ſic ſi mulier *INTEMPERIE* quadam aut *INFLAMMATIONE* vel *ERYSIPELATE* laboret. quo de Hippocr. 5. aph. 43, Knobloch in epiſt. med Gregor. Horſt ſect. 17. & alia plura de quibus obſervationes variorum proſtant.

CAP.

CAP. VII.

SIGNA DIAGNOSTICA ET PROGNOSTICA DESCRIBIT

VErum curationis ſcopu m ſi adtingemus maxim eneceſſarium eſt ut in ſigna quoque inquiramus monente Tralliano l. 8. c. 6. poſſunt autem non ſolum à cauſſis partim, partim aliis circumſtantiis deſumi ſignificant autem partum difficilem fore *EX PARTE MATRIS. CONSVETVDO DIFFICVLTER PARIENDI.* cum ſciamus mulieres quaſdam bis, ter, quaterve & pluries laboraſſe partu difficili: item ſi mammæ extenuentur, 5. aph. 53. ſi dolores languidi ex intervallis longioribus recurrant laborioſum partum demonſtrant, ſi partes inferiores ultra modum intumeſcunt ac diſtentuntur, etſi mater ſit robuſta cum fetu, nihilominus tamen hic non egreditur ſed in ipſo uteri orificio ſubſidens difficilem præſagiunt partum. Jacob Primeros. l. a. p. m. 301. ait. Partus difficilis cenſetur ſi ultra 24. horas duret, tum ſi dolores aliaque gravia ſymptomata præter morem in partu aut poſt partum torqueant. It *ERVPTIO AQVARVM* relicto fetu.

RATIONE FETVS cognoſcitur partus difficilis ſi *LANGVIDVS*, aut tardius moveri incipiat, periculum eſt, ne moriatur aut ſuffocetur, ſi *SECVNDINA* prius exeat ſi ſint *GEMELLI*, ſi vagire audiatur, qui vagitus quidem in ſe bonum ejus notat ſtatum (quamvis quidam eum ominoſum reputent) notat eſſe robuſtum; verum quia *LONGO VAGITV* fetus debilitatur malum Significat. vid. Thom. Bartholin. Cent. 1. ſi *MOTVS DESINAT* & mortuus appareat, qui *MORTVVS FETVS* in matre judicatur quando externa frigent, fætida ſubrubra ſemi putrida materia ex utero emanat, ſi feminæ oculi conci-

dant, palpebræ inflentur ipſa langueat, ſi facies & labra palleant, omnia ſymptomata ingraveſcant, anhelitus fæteat, ſi adſint rigores & convulſiones epilepticis fere ſimiles. Confer Primeros. l. a. p. m. 307. Coſterus Tabul. XCI. p. m. 352. ait dolor parturientium, ceſſans, vel deſinens multas horas, ſi ſuperveniat rigor & pandiculatio atque oſcitatio, fetum in utero extinctum eſſe ſignificat.

Jam egrediamur etiam ad *SIGNA PROGNOSTICA* ſi quid enim eſt quod medicum magis admirabilem reddat in praxi ſane eſt prognoſis, hæc enim teſte Botallo de medici & ægri munere §. 22. omnibus præſtat. Longitudinem & brevitatem quod concernit, inter acutos referunt nonnulli hunc affectum, ratione terminationis. Hippocrates varia & bona & mala habet prognoſtica. Sect. v. aph. 35. ait mulieri difficulate partus laboranti ſternutatio ſuperveniens bonum, & ita facilis promitti poteſt partus, ſternutamento enim corpus & præcipue abdomen concutitur, niſus excitantur; fetuſque excuſſio maturatur. Hinc & à multis practicis data opera, ptarmica imperantur, pro fetu expellendo. Vide Hiſtoriam admirabilem apud Henr. ab Heer. obſſ. XIV. Si dolor pectinem & partes anteriores, prope vulvam occupans, in muliere robuſta præcipue ſi mulier conſtanti ac bono ſit animo, & anhelitum habeat laudabilem ſpes ſalutis eſt matris, & fetus ait Roder. à Caſtro. l. a. p. m. 473. pariunt facilius quibus ſunt genitalia ampla ait Spigelius anatom. c. 10. p. m. 25. *BONVM* quoque ſi Secundinæ ſtatim cum fetu exeant Ludovic. Mercatus. de mulier. affectib. l. IV. c. 3. p. m. 510 ait diſruptis pelliculis ſi pueri momentum in caput inclinaverit, mulier facile parit. *MALVM* vero & periculoſum pronunciat Paul

Barbet-

Barbette praxi ſua c. 12. p. m. 236. dicens. Viarum anguſtiæ ſunt periculoſiſſimæ: id. ib. Laxitas rugarum vaginæ hac ex parte multum nocet, rugæ enim valde inſerviunt fetui educendo ut & Semini maſculo adtrahendo. & aph. 55. ſect. v. quæ geſtantes uterum febribus corripiuntur, & vehementer ſine evidenti cauſſa extenuantur eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur. Ludovicus Mercatus l. a. p. m. 510. ait ſi obliquus aut in pedes proceſſerit fetus, mulier difficulter parit. Tandem addit Coſterus tab. XCI. p. m. 352. parturiens ſi viribus deſtituatur & frigidum ſudet & pulſus arteriarum concitatiores reddantur, præſentem mortem matri minantur

CAP. VII.
CVRATIONEM PRÆSCRIBIT

MEdicus igitur advocatus, inquirat ante omnia an genuinus pariendi terminus ad ſit nec ne? an ad huc parturiens ſentiat infantis motum? an hactenus bene valuerit? an aqua ſeu colliquamentum proruperit? quærat ex obſtetrice quem ſitum infans habeat, an caput velit prodire primo, vel an promineat funiculus umbilicalis vel manus vel pes? an adſint tormina vel niſus, qui vel veri, **wehen die auff das Kind treiben** vel falſi aut vagi, **wilde wehen die oberſich gehen.** His itaque præmiſſis & examinatis. Placet *PRÆSERVATORIAM* indicationem quippe quæ cauſſas adtendit præmittere, ſublatis enim his tollitur effectus. Si igitur partus difficilis contingat à debilitate ſubjecti nempe parturituræ præſertim ſi nimium langueat aut ob dolores & labores ſit imbecilla; confortantia aut corroborantia adhibenda (quæ dein, exponentur) non tamen nimis calida aut ſpirituoſa; ne calorem hoc tempore plerumque abundantem adaugeant: ſi ab obſtructio-

ſtructione; Eæ referantur, maxime tamen hic opitulantur clyſteres, quamvis nonnulli horum uſum in hoc caſu negent metuentes ut inteſtinum diſtendant, uteri vero cervicem comprimant, verum quoniam longam moram ibidem non trahunt, non video, qui ſint improbandi.

Si à *VITIOSO SITV* ſit pariendi difficultas, is prudenter corrigatur; Varii vero pariendi ſitus obſervantur non nullæ modum enitendi fetum in ſella quadam excavata ad ſimilitudinem lunæ falcatæ habent, cujus deſcribt. vid. ap. Moſchion. c. 47. Eucharion. Rhod. l. de part. c. 4. citante Cummio diſp. inaug. habit Jenæ 1664. præſid. Rolfinc. arridet vero commodiſſima iſtius ſellæ forma apud Gottfrit Welſch in additam: ad Scipion Mercur. l. 1. c. 23. p. m. 261. depict. cui parturiens non ſolum inſidere verum etiam erecta & non nihil ſublimi dorſo decumbere poteſt, quo liberior ſit reſpiratio, confer. Primeros. l. a. quædam vero in lecto tranſverſim, nonullæ ſuper ſpondam ſubpoſitis ſtragulis ac pulvinaribus, arcto ſub axillis mantili quodam compreſſa amplexu, manubriis quoque firmatis ut iis apprehenſis parturiens corpus ſuum firmare atque potius laborare poſſit, ex utraque vero parte validas ac cordatas ſecum habeat mulieres, hac de cauſſa in vrbe Delphis robuſtas habere obſtetrices parturientes, feminas teſtatur Foreſtus l. 8. obſ. 70. quæ non ſolum robore ſuo illas adjuvare verum etiam blandimentis, aut indignatione quandoque eas ad alacritatem adhortari, & ad ulteriores conatus & labores admonere poſſunt. Singulis autem prolubitu commodiorem relinquimus ſitum, eum ſaltem adtendentes, qui nec fetui nec parituræ niſibus impedimentum creet. Interim obſtetrix inferiora parituræ bene habeat munita, ne frigidus aër clauſtra conſtringat, ſacculis fotibusque calidis liquore emolliente ſæpe imbutis partes genitales foveat,

oleis

oleis & axungia blande illinat, omnes faſtias pedum, brachiorum, præſertim vero delicatuſarum armillas, brachialia, annulos omnes amoveat, ne curſus & fluxus ſanguinis impediatur, interim collum linteo, quodam obvolvatur ne ob tantos niſus βρογχοκήλην contrahat.

FETVS autem *SITVS* ſi cauſſatur, vel curvus inæqualis, aut obliqus, corrigatur, venter parturientis manibus premendus & ſtringendus in varias poſitionem differentias fetus volvatur quod obſtetrices vocant **man muß daß Kind ſtürtzen** donec egrediendo aptam nanciſcatur formam. Si vero *FETVS DEBILITATE* id accidat, is roborandus & con fortandus hac tamen obſervata cautela ne maxime calida aut ſpirituoſa exhibeantur, ei forte febrem accendant, hæmorhagiam quam par eſt majorem concitet & fetum plane extinguant uti allegat Exemplum Salmuth. c. 1. obſ. 16. Interea vero una vel altera potiuncula aut formula, fetus exitum maturans **treib Tränckl.** parturienti propinetur. Si vero, nec obſtetrices, nec adſtantes, aut medicamenta ἐκβόλα fetum procurare poſſunt, manu chirurgica opus, quæ inter tria illa medicinæ organa ubique primatum nec immerito tenet. Vix enim abſque chirurgia fetus educi poteſt, ſi vel accidit obſtructio, diſtorſio vel obliquitas teſte ſæpius laadato Primeros. l. p. m. 312. Præcipue ſi contingat pariendi difficultas à *FETV MORTVO* cujus ſigna cap. vi. expoſuimus. Chirurgus Primo cultello inciſorio huic affectui adaptato quem compreſſe infra duos primores digitos, linteolis ſubtilioribus involutum habeat & (ſine tamen læſione pudendorum) vix ad præceptionem cuſpidis caute applicet & forte circa coſtas aut abdomen aut alibi prout ſitus eſt fetus faciat inciſionem & interanea extrahat ita concidet ſenſim ſenſim ſenſimque corpus. Sæpe accidit, ut fru.

ſtulatim ſit decerpendus & extrahendus ſi vero caput valde magnum & amplum, tunc caput aperiat ut cerebrum exeat, ad celeriorem egreſſum ſe dedat, quos modos felices adhuc nuperrime aliquoties, ap. ſupra dictum chirurgum obſervavi. Si vero fetus totum caput aut manu aut aliquot digitis apprehendi nequeat, unco quodam ſubtili (quem ap. Scultetum cum reliquis inſtrumentis alioſque chirurgos ut & Welſchium l. a. tab. XXII. c. 27. e regione p. m. 449. videbis) os, brachium aut aliam partem, ratione ſitus, ſine tamen animadverſione aut terrore ægræ arripiet leviterque ac ſenſim commovebit, donec demum egreſſus viam habeat. Expulſionis violentum modum placet ex Thom. Barthol. cent. 6. hiſt. 83. p. m. 341. hic adjungere. Vxor Centuriones cujuſdam robuſta, nullo interno remedio propellere valuit fetum in auguſtiis materui ſinus hærentem & mortuum uude præſente animarum curatore, Medicus Hiſpanus ſibi afferri curabat orbiculum qui menſæ inſterni ſolet, eumque umbilico parturientis impoſuit dolores prodirit puerpera, dictum factum, extrudebaur fetus ſalva matre & ſuperſtite Verumcum Altiſſimus ex locuplete terræ ſinu in humani generis commodum tutiora ac utiliora condiderit, Merito barbariſmum hunc abhorremus, & potius ut rem mirandam & obſervandam non autem ubivis imitandum notemus.

Sin vere difficultas prorſus hæc omnia fruſtret eaque tanta ut impoſſibile ſit fetum alio modo expelli poſſe durum illud remedii genus quod dicitur *PARTVS CÆSARAVS* cujus methodum, inſtrumenta ac tempus, ſecandi totamque operationem tibi dabunt, Paræus Fabricius, Carol. Stephanus l, d. diſſect. part. corp. hum. Franciſcus Rouſſetus de partu Cæſareo, cum appendice Bauhini. Roderic. à Caſtro fuſius 1. 4. c. 3. p. m. 456. Gottfrid Welſch l. a. part. 2. c. 29. p. m.

29. p. m. 464. & Scultetus part. 1 Armam. chirurg. Tab. 42. p. m. 95. ſeqq. Sedulo quoque obſervandum, fetu in lucem edito, ut ſecundina ſequatur, quam multi adhærere utero credunt præcipue naſutulæ mulierculæ, dicentes, **die Nachgeburth iſt zu ſtarck angewachſen** nec ſolum hæ, verum & alii inter quos Rodericus à Caſtro. l. a. p. m. 478. Primeroſius. l. a. c. VII. p. m. 601. dicit. Secundina quæ utero alligata quoties divellitur toties parit dolores de quibus puerperæ conqueruntur, & alii. Nec retentio ſecundinæ parvi facienda ſiquidem ex hujus remanentia, putrædo, febres, inflammationes & mors ſubſequitur de quibus ſupra laudatos auctor. vid. ut igitur eo facilius egreſſum fetum ſubſequatur, obſtetrix ſoluto funiculo umbilicati reliquam partem aut femori parturientis aut ſubtili ligneolo alliget aut altera manu teneat; aut adſidenti feminæ tradatur, retineat ne in uterum relabi poſſit; hac igitur extracta, lochiorum debita ratio habenda, ut purgamenta omnia legitime procedant, ſi obſtruantur; aperientur, ſi nimis fluant ut magna virium jactura ſubſequatur cohibeatur fluxus adſtringentibus medicamentis, ligatione aliarum partium ut ſanguinis exeuntis impeteus aliquo modo retardetur.

Sed redeundum eſt ad ipſum noſtrum partum difficilem quem præſtantius & gratius pharmacia juvandum expetunt femellæ ac chirurgia, hic laudantur quam plurima quæ experientia confirmata paſſim circumferuntur.

PICEM NAVALEM: & *PULVER. SGUNDINÆ* ℈ij. Barbet. prax. c. 12. p. m. 138.

Helmontius ait, novi remedium quo fetus alioquin per diem & horas in partu ſtaret eoque potu ſumpto mox infra horæ quadrantem mulier parturit, hoc autem remedium in *JECORE* & *FELLE* anguillæ ſiccatis & pulveri ſatis conſiſtere,

ſcribſi alibi citante & affirmante Excellentiſſ. Dn. Præſid. Satyr med. contin 7. de Anguillis lit H. p. m. 10.

TVBERA CERVINA ad partus difficultatem Commendat Schröderus pharmac. l. 4. cl. 2. p. m. 225.

Sturmius inſignem de Roſa Ierichuntea libr. conſcribs: quam tempore partus in Calicem vini immittunt obſtetrices atque hinc ad facilitatem ejus ſaluberrimum ſibi potum promittunt. ait Chriſt: Langius miſc. med. curios. §. 32. p. m. 102.

Sola *MARITI VRINA* a parturiente epota expertum pariter atque optimum contra difficultatem partus id. ibid. ait.

CORIVM HVNANVM partui difficili ſingulatiter prodeſſe multi affirmant. Th. Bartholin. c. 3. hiſt. 87. Anat Refor. l. 1. c. 2. p. m. 15. 1. Vnzerus l. 1. de Nephritid. c. 24. p. m. 141.

Mulierculæ femoribus ſolent. alligare aetitem de quo celeb. Bauſchius tr. pec.

Chriſt. Langius l. a. p. m. 98. infiniter laudat ſpecificum cephalicum ℈j. hauſtu vini propinatum Debilis parturiens confortetur ſequentibus.

℞. ▽ *cinnannam. boroag.*
fl. liliæ
epilept. L.
fl. cheiri à ℥*ij.*
Sir. liberant.
pæon. a. ʒiiſ.

D. S. Starck. Tränckl. auff etlichmahl

Sæpe accidunt deliquia his adhibenda ſeqq.

℞. *acet. rub.*
fl. ſambuc.
conſ. alkerm. incompl. a. ʒj.

▽ *fl. arant.*

▽ fl. arant ℥iij. D. S. anſtreich

Si niſus deſint illi promoveantur hac potiuncula

℞. *▽. pulcg.*
fl. cheir.
lil. alb. a. ℥ß.
croc
Sal.Sabin. ℈j.
Sirub. meliſſ. ℥ß. d. S. treib Tränckl. uff etlich mahl

Si præter propter intra horam niſus non ſequantur poteſt hæc potio provehiculò eſſe in quo

℞. *teſtic. equi præp.*
baracis venent a. ℈j.
croc. orient. gr. vij.
hep. anguill. exſicc. ℈ij.
qui detur in ▽ prædicta

Alii tum pro confortatione tum fetus expulſione ſumunt rotulas, manus Chriſti perlat quibus inſtillant gutt. aliquot ol. ♌ ſuccini alii Mumia ad ℈j. utuntur in potiuncula ſupra dicta aliqui addunt cinabar. nativ.

Obſtructiones ſi adſint reſerantur quibus egregie clyſteres conveniunt.

℞. *herb: meecur*
artemis a. m. ij
flor. lil. alb. m.iß rad. alth. ℥iij.
Cocq. in ſ. q. ▽ comm.
℞. *colat. ℥vj. diſſolv.*
elect. lenit ℥ß. croc. ʒß.
vitell. ovor. no.i.F. l. a. Clyſter. ſtatim applicandus

Si vero obſtructiones perſeverant clyſteribus fortioribus continuandum

Ad loca genituræ illinenda atque emollienda detur

 ℞. ole-

℞. *ol. amygd. lil. alb. a. ʒij.*
butyr. non ſalit. ol. viol. a. ʒiij.
chamemæl. ℥ß.

Si edito fetu ſecundinæ & lochia remaneant eadem medicamenta ſed mitiora adhibentur

℞. ♎ *ſecundin* ℈j.
elix propr. ʒß *D.*

Laudantur & hic teſte Hippocr. ſternutatoria

℞. *rad. pyretr. ſem nigell. a* ʒß
fol. tabac ʒß *fl. til. convall p. i. i.*
irrorentur ol. ♌ caryophyll. gtt. aliquot

Aut ſi præter modum fluant, fluxus cohibendus, internis & externis adſtringentibus

℞. *pulv. adſtring. Gal.* ℈j.
mag corall. rubr.
terr. ſigill. a. ʒiß. *d.*

℞. ▽ *plantag. millefoll. a.* ℥j.
Equiſet. ʒiij. *ſir. corall.* ℥ß.
D. S. ▽ Zum *pulv.*

Vel externis ℞. ▽. ſperm. ranar
† *roſac. a* ℥ß
bol. vulg. ʒiij. *pubi applicetur*

CAP. VIII.
DIÆTAM PRÆSCRIBIT.

INcaſſum laborabit Medicus præſcribendo remedia ei qui rectam diætam ſervare, neſcit, eam vero non ſimpliciter cum vulgo de cibo & potu ſaltem intelligo, ſed ſex *RES NON NATURALES* quarum agmen ducit. *AER* cum vero ſine hoc ne momentum vivere poſſimus ſtudioſe is in præſenti hoc affectu obſervandus, ſit Temperatus, frigidum Supra improbavimus, frigus enim puerperam lædit, ſcribit Rodericus à Caſtro l. a. p. c. 2. p. m. 454. hiſterica ſuperveniunt

unt ſymtomata, ſuffocatio, tormina, febres, pleraquæ alia mala. Calidus contra parili ratione non ſit nimis talis ne magis langueat & enervetur mater. *CIBUS* ſit ἐυπεπτος præcipue vero juſcula dentur confortantia **krafft ſuppen** ex decoct. gall. veter. cremore ptiſanæ, quæ proſtrates ex laborioſo opere vires reficiant, biduo à carne abſtineat puerpera quippe ut Galeno & Hippocrati placuit 2. acut. 13. à ſubitanea evacuatione ad plenum victum non eſt properandum, poſtea à Gallina vel capone uberius accipiat. ait. Rod. a. Caſtr. l. a. p.m. 449. Hic quoq; earum mos cum dicto auctore vituperandus, quæ epulis & vino liberalius ſtatim indulgent, his enim omiſſis nil boni præſtare exiſtimant. *POTUS* ſit aqua cum vino diluta vel purum vinum ὀλιγοφόρον vinoſum vero vitetur. *MOTUS* & *QUIES* decenter ſe habeant, requieſcat tamen ad tempus aliquod in lecto ne muliebria per præmaturum ingreſſum inflammentur, vitet labores ne uterus commoveatur unde vel hyſterocele, vel prolapſus aut procidentia ejus. *SOMNUS* & *VIGILIÆ* correſpondeant motui & quieti, ſomnus enim neceſſarius, ut vires poſt exantlatos labores reſtaurentur deficientes reparentur, ſecundum illud

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

Nimio ne etiam indulgeat ſomno, unde torpor & alia mala, ſommus enim qui peccat in exceſſu malus teſte Hippocr. 1 aph. 3. *EXCRETA* & *RETENTA* maxime hic reſpicienda cum enim puerpera jam per multas evacuationes labefactata ſit videndum ne lochia ultra modum aut p. n. fluant, ne tamen etiam ſiſtantur unde febres, inflammationes ac putredines. *ANIMI PATHEMATA* rationis fræno moderanda, abſit ira unde humores & ♌ de novo exagitantur, Terror unde ſubſiſtunt, & tota animalis œconomina turbatur cœterum ſe gerat tranquillam bono ſit animo, reliquaque commendet Deo. cujus tutelæ benigniſſimæ Lectores benevolos & me meaque ſtudia quoque offero, veniam rogitans errorum meorum, quos emendare ad amicam informationem ſemper ero paratiſſimus, nemo enim magiſter naſcitur; & ſenes qui alterum pedem in cymba charontis habent non pudet ſeneſcendo diſcere.

FACULTATIS MEDICÆ DECANUS
GEORGIUS FRANCUS
CANDIDATO MEDICINÆ
PER QUAM DIGNO
JOHANNI FRIDERICO GRAFIO
S. P. D.

NOn poſſum me cohibere, NOBILISSIME GRAFI, quin Summi HIPPOCRATIS verba, quæ de victus ratione ejuſque ſcribtoribus ſeorſim habet; huic mea faciam; & omni de re medica tractationi ſuſceptæ adplicem. Νῦν δὲ πολλοὶ μὲν (ita Immortalis Cous l. π. διαίτης ſtatim in principio.) ἤδη ξυνέγραψαν ὐδεὶς δὲ ἔγνω ὀρθῶς, καθότι ἂν αὐτοῖς ξιγγραπτέον. Ἄλλοι δὲ ἄλλο ἐπέτυχον. τὸ δὲ ὖλον, ὐδείς πω τῶν πρότερον. Μεμφθῆναι μὲν ὖν ὐδενὶ αὐτῶν ἄξιόν ἐςιν, εἰ μή ἐδυνήθησαν ἐξευρεῖν ἐπαινέσαι δὲ μᾶλλον πάντας, ὅτι ἀλλ. ἐπεχειρίσαντο ζητῆσαι. h. e. vertente FOESIO? *At vero cum multi jam de ea re ſcribſerint, nullus tn. quid ſcribendum fuerit recte mihi noviſſe videtur. Alii quidem aliud adtigerunt, totum vero ne unus quidem adhuc ex his, qui ante exſtiterunt. Neque tn. eorum quiſquam reprehendendus, quod invenire non potuerit, quin potius laudandi omnes, quod quadam inveſtigatione aggreſſi ſunt.* Ego quoties ad artem noſtram reſpicio, (reſpicio autem perpetuo.) toties ingemiſco; quia ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή! Nihilominus ἡμερώτατον OCELLUM LUCANUM *l. π. τῆς τῦ παντὸς φύσεως cap. iv. p. m. 51.*) πάντων καὶ βέλτιςον ὁ ἄνθρωπος, id eſt: manſuetiſſimum atque optimum animalium eſt homo, interprete *Ludov.* NOGAROLA: ideoque ſagaciore cura tractandus. Recte feciſti, CLm. CANDIDATE; qn. pro ſpecimine publico inaugurali; thema & utile & ſumme neceſſarium tractaviſti. Si non omnia ad Ariſtarchorum ἀκρίβειαν; in magnis voluiſſe ſat eſt. Perge laudabilem diligentiam, quam in Celeberrimis Academiis cepiſti; in hac noſtra probatam dediſti, continuare; at accuratam theoriam cum felici praxi maritare. e quo connubio faciliſſimo partu feliciſſima proles Tibi enaſcetur: juxta iſta CARCINI *Tragici* ap. Henr. Stephanum in virtutum ex comicis p. m. 3.

ἀσκεῖν μὲν ἀρετὴν, εὐτυχεῖν δ' αἰτεῖν θεὺς.
ἔχων γὰρ ἄμφω ταῦτα. μακάριος δ' ἅμα
κεκλημένος ζῆν κἀγαθὸς δυνήσεται.

i. e. Colenda virtus. ſunt petenda proſpera
A Diis. Utrumque ſi queas nanciſcier
Et Vir beatus vixeris, & vir probus.

Vale P. P. Heidelberg. e muſeo meo ipſis Eid. Septembr. CIↃ IↃC LXXX.